

editionem Erfurdii ut non inutilem eo apparet, quod quum Aiakis et Trachiniarum exempla deficerent, rogavit librarius ut illas tragoedias denuo recognoscerem. Id sic feci ut non pauca, quibus vel nunc non opus esset reciderem, vel quae non recte disputata esse intellexissem corrigere, aliis autem in locis, qui aut male explicati aut nondum emendati viderentur, lucem et medelam afferre studerem. Ac de Aiace quidem, ut de hoc nunc solo dicam, mirabilia scripta sunt multa; quod autem admirabile esset, unum prodiit opus Lobeckii, cuius in editione nulla pagina est, qua perlecta non doctiorem se factum sentiat, qui discere didicerit. Sed hoc non est cuiusvis hominis, multoque facilius est docere quae quis nesciat, quam quae se nescire nesciat discere.

De codicibus omnia nota sunt. Duorum Lipsiensium codicum in bibliotheca urbana scripturas ad Brunckii editionem excerptas ex praefatione secundae mearum editionum hic repetitas dedi. Uterque liber Aiacem Electram Oedipum Regem continet, cum scholiis et glossis, forma quadrata. Alter antiquior, quem *a* littera notavi, in charta bombycina scriptus est; alter *b*, quo usus est Reiskius, ex illo descriptus videtur.